

sor medicinæ et Botanices factus sum, sicque floræ redditus a quâ exul per 3 annos Holmiæ inter ægros vitam degi. Si vita viresque a me aliquid in botanicis, ut spero, videbis.

Orationem inauguralem de progressu, fati et statu Botanices (in hoc seculo) habui,\* ubi publice tuas prædicavi ut potui et debi [debui?] laudes, ne me ingrattissimum reperires. A medicinæ studiosis post annum qui vestras adeant academias quanti tuum nomen fecerim exaudies ipse.

Saluta Venerandum fratrem tuum et amicos omnes nostros communes D: Isnard, Laserre, Viduam Vaillantii, D. Obriet et omnes alios, dominum qui Brasiliam adiet.

Quid de fratre tuo? quid de ejus observatis? Quæso respondeas, scribasque sæpius. Si vixero post Septembris proximam diem, responsa dabo eodem die ad tuas; quoties hisce me beatum velis.

Ter vale, vivasque omni amico major. Dabam Norkopiæ d: 19 Maji stylo veteri 1741. †

---

VIR CLARISSIME, AMICE OPTIME,

Redditæ mihi fuere literæ tuæ gratissimæ, quibus responsa facere volui non semel, et quominus scriberem plurima detinere negotia. Parcas quæso elapsæ meæ negligentiae, quasdam si prætermiserim occasiones meum erga te significandi studium. Varia suscepi itinera, totoque autumno præterito circa littora Neustriæ maritima erravi, nova non pauca detexi quibus animale regnum aliquando ditatum miraberis; ‡ meæ

Gratulamur nobis Galli suffragia in Galliâ de Linnæi meritis lata nonnihil profuisse ut ad debitos honores in patriâ promoveretur, quod ipse testatur in Diario ubi legitur: "*Count Tessin, who was then at Paris, having heard a great deal about Linnæus in that city, recommended him to Count Gyllenborg, at that time Chancellor. Count Gyllenborg arranged matters among the competitors in such a manner, that Rosen was to succeed to this (O. Rudbeck), and Linnæus to the office of Professor Roberg, who was to resign on account of age, but that Linnæus and Rosen should afterwards change professorships with each other.*"

\* Quam nunquam edidit, forsân tamen serius in operibus dissertationibusque, ubi de botanices historiâ agitur, refusam inseruit.

† Huicce et proximæ epistolæ spatium interjicitur sex annorum, cum eodem quinquies Bernardus scripserit, e cujus responsis constat nonnullas, saltem duas, Linnæi litteras desiderari.

‡ In omnibus botanicis, a Cæsalpiniâ usque ad Linnæanum, systematibus, jura civium obtinuerant Lithophyta, Spongiarum, Madreporarum, Coralliorum, &c., &c., inconditam intricatamque multitudinem complexa. Quorum naturam animale medicus quidam Mospeliensis, cl. Peyssonel, agnovit an. 1727, plerisque dissentientibus vel dubitantibus. Dubitationem sustulit Bernardus de Jussieu disquisitionibus, de quibus hic mentio, institutis et coram Academiâ Scient. Paris. expositis (*Examen de quelques Productions marines qui ont*